

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lectori Benivolo S. P. D. Joh. Nicol. Eccard. Consist. Reg.
Assessor & Lycei Oldenb. Rector**

Eckard, Johann Nikolaus

Oldenburgi, M.D.CC.?

[Lectori Benivolo S. P. D. Joh. Nicol. Eccard. Consist. Reg. Assessor & Lycei
Oldenb. Rector]

[urn:nbn:de:gbv:45:1-639461](#)

ut vix attollere oculos audeant eo , unde fati sui malignitate ceciderunt . Hæc res Athenas quondam opplevit barbarie , antequam barbarus hostis irrueret , ut testis est Synesius , Ptolomaidis Episcopus , qui Theodosij tempore vixit Epist. 146. An ejusdem malignitatis hominum , an verò ipsorum imperitiæ aut inertiæ vitio , cur hodie Scholæ vilescant , imputandum sit , ambigi potest . Certè de scholis & aperiendis & conservandis altum ubique est silentium ! Multi etiam , quorum vel maximè interest , & à quibus officijs ratio , ut Scholarum curam suscipiant , summo efflagitat opere , ea in re negligentiores periuntur , quasi Schola res esset , infra suam ipsorum magnitudinem collocata : Ita cum fastidio despiciunt illud , cuius tamen beneficio ad honoris gradum , in quo stant , fuerunt evecti . Qua in re idem , opinor , illis , quod pueris accidit : Hi cibo potuque repleti & satiati , panem , quem tenent , in quodvis obvium scamnum , sedile vel terram projiciunt , de futura inedia & indigentia nihil solicii : Bonus verò Paterfamilias qui annonæ caritatem præmetuit , & cui utilitas & usus panis ad vitam hanc sustentandam est cognita , etiam in copia & abundantia illius , de futura necessitate , & de medijs , quibus compare eundem & conservare queat , solitus est : Pari etiam modo cum Scholis res se habet , scilicet , ut diversa hominum



num judicia sunt & propensiones variæ, ita nonnulli susque
deque habent quod alij omni cura atque solertia dignum
arbitrantur. Nam qui accuratori vultu res hominum intus-
entur, illi probe norunt, cum salute Republicæ conjun-
ctam esse Scholarum salutem, inde etiam ad earum conser-
vationem omne studium suum consiliumque conferent, at-
que hoc ipso illorum ausus & conatus, qui in Scholis desup-
dant, quantum fieri potest, adjuvabunt & promovebunt.
Nota enim est humana imbecillitas, ignorantia, oblivio &
socordia, hæc nisi perpetua admonitione, vellicatione &
calcaribus expergesiat, facile in oblivione sua obdormiscit.
Hinc omnes omnino homines, qui ultra vulgi mensuram sa-
pere volunt, (ut de Magistratibus nil dicam, isti enim,
vel me facente, suum norunt officium) rei gravitatem co-
gnoscent, & quantum in se est, eò nitentur, ut Scholar
publicæ, earumque Doctores indies capiant incrementum.
Nam si hisce studiis, quæ in Scholis excoluntur & discun-
tur, Ecclesia DEI & Republica ædificatur, continuatur &
ad posteritatem transmittitur, regnumque DEI in his terris
stabilitur, & nominis divini gloria, Majestas & amplitudo
cognoscitur & celebratur: ecquis Christianorum non in
ea conservanda omnes vires suas, facultates & operam lu-
benti animo conferret? Quis non intelligit hic vocatio-
nis & creationis suæ finem? Hoc vel ipsa studia, quæ co-
limus, à nobis exigunt, quæ à Dño ab origine ad finem
usque

usque mundi homini sunt commendata. Hunc in finem laudatissimi **Superiores** nostri **Examina** in Scholis publica certo tempore habenda constituerunt, ut hac ratione laborum Scholasticorum, & quomodo docentes pariter & discentes suum faciant officium, accurata fieret exploratio. Quæ consuetudo cum apud nos quoque servetur, ea qua par est observantia & fide invitantur hac vice **Mæcenates & literarum Patroni**, velint ad breve tempus Musis nostris indulgere, atque **Examini** die crastino, (hic enim terminus juxta leges nostras nobis est præfixus) in Auditorio majori habendo adesse. Agite ergo **Viri omnium ordinum honoratissimi**, & qui jam imminente vere in agellos vestros & hortos vo- soletis conferre, partim ut animum reficiatis, partim ut ope- ram hortulani urgeatis & promoveatis : Ita quoque labo- res, qui in Musarum hortulo Deo adjuvante suscipiun- tur, introspicere, atque vestrâ præsentia, reculas nostras promovere ne dedignemini. Valete in Domino. Dabam
è Museo. **Oldenburgi.** **Dominica Ju-**
dica. M.D.CC.

OLDENBURGI,
Typis JACOBI NICOLAI ADLERİ, Regis Dianarum Typo-
graphi privilegiatii.

